Decemdium perutilis devotionis ad S. Franc. Xaverium.

Brunsb. typ. s. f. 1732.

DECEMDIUM
Perutilis Devotionis

Ad Sanctum

FRANCISCUM XAVERIUM

SOCIETATIS JESU

INDIARUM APOSTOLUM.

Pro quavis gratia, per ejus intercessionem à DEO impetranda.

Permissu Superiorum.

BRUNSBERGÆ
Typis Collegii Societ: JESU
Anno 1732.

Hæc Devotio in honorem S. FRANCISCI XAVERII S. J. per ſeptimanas X. exerceri debet, ex quibus deliguntur X. ſextæ feriæ tum in memoriam X. annorum, quos S. XAVERIUS converſioni infidelium impendit, tum quòd feriâ ſextâ ex hac vita ſeceſſerit. Praxis autem devotionis hæc eſt:

PRæfiges I. intentionem, quòd ſcilicet hoc Decemdium in prædictam memoriam, & hujus S. honorem, pro gratia NN. quâ nunc maximè opus habes, in quibuſcunq; corporis & animæ neceſſitatibus, inſtituere velis; tum ſingulis ſextis feriis prædictarum X. ſeptimanarum (quas continuas, & non interruptas eſſe oporteret) confiteberis, atque communicabis: Pridie vel ipſo die communionis, jejunabis; vel à cibo aliquo abſtinebis, vel quamvis aliam pro arbitrio, & commoditate tua mortificationem aſſumes.

2. Peracta Communione, orabis ante Altare vel Imaginem S. FRANCISCI XAVERII decies Pater noſter, & X. Ave Maria, cum X. Gloria Patri, &c. & ſequentibus orationibus;

Antiph: Euge Serve bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣ Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟ Et ostendit illi regnum DEI.

ORATIO. DEus, qui Indiarum gentes &c. ùt infrà in Officio.

Oratio ad 5. Vulnera Christi S. Francisco Xaverio perfamiliaris.

Domine JESU Christe, DEus cordis mei, obsecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi nostri amor in Cruce inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sangvine redemisti.

3. Offeres Divinæ Majestati merita S. XAVERII, quæ sibi in decenni hac animarum conversione apud DEum comparavit: deinde invocabis ipsummet, ut à DEO omnium infidelium, & peccatorum, maximè in hac civitate degentium conversionem, hæreticorum reductionem, animæ alicujus è purgatorio eliberationem, toti Christianitati prosperitatem, & tranquillitatem, omnibus sibi singulariter devotis, hanc devotionem exercentibus, gratiæ optatæ consecutionem impetrare dignetur.

4. Cum humilitate, & omnimoda tuiſmet ipſius in voluntatem DEI reſignatione petes id, ad quod impetrandum hanc devotionem inſtituiſti.

5. In decurſu harum X. hebdomadarum leges aliquid de Vita S. XAVERII, præſertim in dies communionis: ut ita & ad Xaverianarum virtutum imitationem inciteris, & majorem de ejus apud DEum efficaci interceſſione fiduciam concipias: pro quo habes hic appoſitam compendioſam vitam ejuſdem Sancti.

COMPENDIUM VITÆ
S. Franciſci Xaverij S. J.

FRanciſcum Xaverium damus virum, cujus animo alter etiam orbis anguſtus fuit: dum vixit, virgo vixit, teſtimonium animo integerrimo dixit corpus longè poſt mortem etiam in viva calce integrum: Sed ſemper egregius victor non ſemel è morbidi ulcere ipſum pus hauſit. Sed tam ſitibundum DEus deinde tot delicijs per omnem vitam perfudit, ut ex cordis abundantia ſæpius exclamare diducto à pectore veſtimento, coactus ſit: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* Apoſtoli per novum orbem non tam nomen quàm vitam tulit, ad id muneris ab

ipſo Numine delectus: ſiquidem multò antè in ſomnis tetri coloris hominem, qualem Indum effingimus portare humeris ſibi per quietem viſus eſt. Et quid aliud vigilans poſtea egit? cùm ejuſmodi hominum multa centena millia ad Eccleſiæ gremium ſuis humeris tulit: cùm vicies centenorum millium non tam vultus, quàm animos fuſcos, ſacrâ undâ ſolus lavit, & cœli candidatos eſſe juſſit. Vaticinia inſuper edidit innumera: precibus mare exarmavit, ſigno crucis ſalſum dulcoravit; frigidam inſtar olei ardere fecit; exercitus vicit, pluit oratione cineres; dum eodem tempore geminis in locis & longiſſimè diſſitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinq; ſupra viginti; omnium propè ægritudinum depulſor, omnibus omnia factus, in conviviis etiàm atque ludis, animarum lucrum quæſivit, invenitque. Ad extremum dum ampliſſimum Sinarum regnum laborat ingredi, in ipſo ejus portu ad cœlum animam appulit, poſt decennem Gentibus convertendis impenſam operam, anno Chriſti 1552. initæ Societatis 31. ætatis ſuæ 55. in Sanciano Sinarum inſula, Feria 6. Decemb: die 2. A SS. D. N. Greg. XV. anno 1622. Martii 12. in Sanctorum numerum relatus.

OFFICIUM
S. FRANCISCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI S. J.

Invocatio.

FRANCISCE mundi gloria,
Orbisque lumen alterum:
IGNATIO quem proximum
Gradu ſecundo ponimus.

Audi clientum carmina,
Quæ mente gratâ pangimus:
Et ora te canentium
Aurâ favoris ſubleva.

Mens incaleſcat ſpiritu,
Illo incitata ſpiritu,
Quo tu flagrabas unicè
Augere Chriſti gloriam.

Fac, ut medullas pectorum
Cœleſtis intret gratia,
Quæ nos ſupernis ſedibus
Terris ſolutos afferat.

Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
Utrumque mundi cardinem
Novo replevit lumine.

Ad Matutinum.

Amor nominis JESU accendat præcor-

dia

dia noſtra, Amen.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. DEus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. (à Septuageſima uſq; ad Paſcha) Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

QUis Te XAVERI flammeæ
Mentis ſubegit impetus?
Virtutis altum ut tramitem
Auſu virili ſcanderes?

Non te coruſcus lubricæ
Fulgor ſefellit gloriæ:
Non faſcinavit aureos
Fortuna nectens compedes.

Non forma, non ætas Tui
Fregêre robur pectoris:
Non corporis mendax honor,
Eburque frontis candidum.

Hæc cuncta calcans fortiter
Greſſu ſuperbo præteris:
Sic Victor ad tutiſſimam
Arcem ſalutis evolas.

Sit Trinitati gloria,

Quæ per ſuum XAVERIUM
Calcare pompam ſæculi
Rudes alumnos edocet. Amen.

Antiph: Iſte lucerna ardens & lucens, qui tenebris hæreſum mundo offuſis, lumen veræ fidei adduxit, & frigidis hominum mentibus charitatis impertivit amorem.

℣. Ora pro nobis S. FRANCISCE.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

DEus qui Indiarum gentes, B. FRANCISCI prædicatione & miraculis, Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti; concede propitius; ut cujus glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Laudes.

Amor nominis JESU accendat præcordia noſtra. Amen.

℣. DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

Hymnus.

SEu vaſta rupes Caucaſi,
Jactata ſævis fluctibus,
Nullo movetur turbine,
Nec ſentit iras æquorum.
Sic alta mens XAVERII
Cœlo ſereni verticis
In nube culmen admovet,
Nec noſtra ſentit nubila.
Ruunt Cyclopes inferi
Tunduntque terga fuſtibus;
Incus ſed illa vapulans
Fuſtes putavit balſama.
Sic ridet iras tartari,
Sic atra ridet agmina;
Pro ſe cohortes ætheris,
Dum militare conſpicit.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM,
Virtute nos conſtantiæ:
Nudos obarmat milites. Amen.

Antiph: Similabo eum viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

OREMUS.

DEus qui Indiarum gentes &c. ut ſuprà.

Ad Primam.

Amor nominis JESU accendat &c.

℣. DEus in adjutorium &c.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

VIs illa qualis ignea?
Quæ Te, XAVERI, ſuſtulit:
Dum ſupplicares Numini,
In ipſa raptus ſidera;
Illic licebat nectaris
Natare fontem lucidum:
Illic licebat intima
Intrare Cœli gaudia:
Hinc illa vox creberrima
Jactata terris omnibus:
SATIS, SATIS: Vos Cœlites
Rivos beatos claudite,
Sed parce, parce, mi Pater!
Si tu redundas ebrius,
DEumque plenus excutis,
Tuos clientes aſpice.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
In uda terræ viſcera
Cœli favores depulit. Amen.

Antiph: Hic vir deſpiciens mundum & terrena triumphans, divitias coelo condidit ore manu.

℣.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et ostendit illi regnum DEI.

ORATIO ut suprà.

Ad Tertiam.

Amor nominis JESU &c.
℣. DEus in adjutorium &c.
℣. Gloria Patri, & Filio &c.

Hymnus.

O Quantus ardor Numinis,
FRANCISCE Te compleverat,
Cùm Japonum novalibus
Coeleste semen spargeres!
Pelluntur aris Dœmones,
Actique regnis dulcibus,
Chara migrantes Japone,
Ad nigra tendunt Tartara.
Hic nemo Chamis supplicat;
Nulli timentur Amidæ:
Algent, famentque Bonzii:
CHRISTI triumphat signifer,
Ex hoc satu repullulat
Seges beata Martyrum;
Unde annuis jam messibus
Cœli replentur horrea.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per suum XAVERIUM
Cæcis videre gentibus

Lucem dedit mirabilem. Amen.

Ant: Inveni David, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.
℣ In omni opere dedit confessionem Sancto.
℟. Et excelso verbo gloriæ.

ORATIO ut suprà.

Ad Sextam.

Amor nominis JESU &c.
℣. DEus in adjutorium &c.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Quam fideli Pegaso
Molles per auras labitur
Quemcunque dorso nobili
Felix recepit gratia,
FRANCISCUS inter Japonum
Saxeta nudus ambulat;
Si nudus est quem purpurâ
Fulgente vestit charitas.
Caput relictum solibus
Umbram galeri negligit
Sat tectus est, cui desuper,
Suspendit umbram charitas.
Pes purpuratus sangvine
Se credit inter lilia:
Spinasque quas calcaverat,
Putat rosarum basia,

Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
Neſcire rerum commoda,
Turbas ſequaces erudit, Amen.
Antiph: Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus.
℣. Omnibus omnia factus ſum.
℞. Ut omnes Chriſto lucrifaciam.

ORATIO ut ſuprà.

Ad Nonam.

Amor nominis JESU &c.
℣. DEus in adjutorium meum &c.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

QUis æſtus ille pectoris?
Quis mentis ardor intimæ?
Quo geſtiebas Martyris
Grandem mereri lauream.
Curris Sinas ad ultimos,
Mundique pulſas limitem:
Ubi illa palma parvulo
Venire ſumptu creditur:
Sed regna ſtant aheneis
Dudum obſerata poſtibus:
Longum licèt pulſaveris,
Non audieris advena.
FRANCISCE, vis te Martyrem?

Tyrannum amorem cogita;
Hic te corona nobili
Donabit abſque ſangvine.
  Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
Novos amoris Martyris
Inferri cœlis incipit, Amen.

Antiph: Hic eſt, qui ſemper Evangelium Chriſti in pectore gerebat, & non diebus neque noctibus, à colloquiis divinis & oratione ceſſabat.

℣. Os juſti meditabitur ſapientiam.
℟. Et lingva ejus loquetur judicium.

ORATIO ut ſuprà.

Ad Veſperas.

Amor nominis JESU &c.
℣. DEus in adjutorium meum &c.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

SEd ecce febri torrida
  Exæſtuare viſcera:
Si febris eſt & non magis
Amoris hoc incendium.
  Amor Tyranne parvule,
Nimiſque blande carnifex:
Quouſque tandem ſtrenuum
Torquere gaudes militem;

En qualibus ſuſpiriis
Anhelat aſtra ſcandere;
Ah ſolve nexus compedum,
Dirumq́ue pande carcerem.
Audimur: ecce fulgidum
FRANCISCUS intrat æthera;
Io triumphe! vicimus:
Palmam tenet XAVERIUS.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum XAVERIUM
Nos his relictis, ſedibus
Tandem beatis inferat. Amen.

Antiph: Iſte homo perfecit omnia quæ locutus eſt ei DEus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam, quia te vidi juſtum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Lex DEI ejus in corde ipſius.
℟. Et non ſupplantabuntur greſſus ejus.

ORATIO ut ſuprà.

Ad Completorium.

Amor nominis JESU &c.
℣. Converte nos DEus ſalutaris noſter.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. DEus in adjutorium meum &c.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

QUis jam patrata Cœlitus

Edif-

Edisserat miracula?
Pleni loquuntur codices,
Omnisque mundus prædicat.
Cæcos videre sidera,
Saltare claudos, auribus
Redire surdis tympanum;
Vix instar est miraculi.
Nam quanto fracto marmore,
Rediviva surgunt funera,
Vix ipsa mors est mortua
Viso semel XAVERIO.
Sic ille ab astris, nunc quoque
Vultus gementûm respicit.
Votique damna supplices,
Dextramque claudit nemini.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per suum XAVERIUM
Terras replet miraculis,
Novisque cœlum civibus.

Antiph: Iste cognovit justitiam & vidit mirabilia magna: & exoravit altissimum, & inventus est in numero Sanctorum.

℣. Elegit eum DEus & præelegit eum.
℟. In tabernaculo suo habitare facit eum.

ORATIO.

DEus qui Indiarum gentes &c.

Com-

Commendatio.

FRANCISCE mundi gloria
Orbiſque lumen alterum:
Qui nunc beatis cœlitum
Menſis quietus accubas;
Agnum ſecutus prævium
Ludis choreas virgines,
Interque cœtus candidos,
Comes pudicus ambulas.
O ſi teramus aſperam
Tecum pudoris ſemitam!
Da, da Pater quod poſcimus!
Nec ſperne vota ſupplicum,
Sint pura nobis pectora,
Fœdata nullis ſordibus,
Ut æmuli virtutibus
Pari fruamur gloriâ.
Sit Trinitati gloria,
Quæ per ſuum Xaverium
Donet pudorem mentibus,
Et det pudoris præmia, Amen.

℣. Ora pro nobis S. Franciſce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

DEus qui Indiarum gentes &c.

LITA

LITANIÆ
S. FRANCISCI XAVERII.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEus. Miſerere nobis,
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis
Spiritus Sancte DEus. Miſerere nobis,
Sancta Trinitas unus DEus. Miſerere nobis
Sancta MARIA. Ora pro nobis.
Sancta DEI genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Pater IGNATI,
S. FRANCISCE Xaveri, digniſſime & dilectiſſime Fili S. P. Ignatii,
S. Franciſce Xaveri Indiarum Apoſtole,
S. Franciſce evangelizans pacem,
S. Franciſce evangelizans bona,
Ora pro nobis.
Vas electionis portans nomen JESU coram gentibus,
Vas redundans Divinæ Charitatis,
Firmamentum Orientis Eccleſiæ,
Propugnator Fidei,
Impugnator infidelitatis,
Prædicator Evangelicæ veritatis,
Idolorum deſtructor,
Electum à Patre æterno inſtrumentum

propugnandæ Divinæ gloriæ,
Fidelis imitator & ſocie JESU Chriſti Filii DEI,
Tuba reſonans Sancti Spiritus,
Columna templi DEI,
Lux paganorum,
Magiſter credentium,
Speculum veræ pietatis,
Dux in via virtutum & Chriſtianæ perfectionis,
Exemplar Apoſtolici Spiritus & ſanctitatis,
Pes claudorum,
Auxiliator naufragorum,
Salus ægrotorum,
Fugator Dæmonum,
Cujus poteſtati obediunt mare & tempeſtates,
Cujus imperia venerantur univerſa elementa,
Prodigiorum Thaumaturge,
Refugium miſerorum,
Gaudium afflictorum,
Orientis ſplendor,
Pignus reſurrectionis ad vitam gratiæ & gloriæ,
Tabernaculum incorruptionis,
Ærarium Divini Amoris,

Ora pro nobis.

Gloria Societatis JESU,
Legate Apoſtolicæ Romanæ Sedis,
Pauperrime Xaveri,
Caſtiſſime Xaveri,
Obedientiſſime Xaveri,
Humillime Xaveri,
Crucis Chriſti, ac laborum pro Chriſto cupidiſſime Xaveri,
In ſalutem Proximi vigilantiſſime Xaveri,
Svaviſſime Xaveri,
Animarum & Divini honoris zelator ardentiſſime,
Angele moribus & vitâ,
Patriarcha affectu & ſtudio curandi populum DEI,
Propheta dono & ſpiritu,
Apoſtole dignitate & merito,
Doctor gentium potens in multifario ſermone & opere,
Confeſſor virtute & vitæ profeſſione;
Virgo animo & corpore,
In quo uno omnium SS. merita ex Divina benignitate veneramur,
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,
Agnus DEI qui tollis &c. Exaudi nos Dõine,
Agnus DEI qui tollis &c. Miſerere nobis
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Ora pro nobis.

Kyrie eleison, &c: Pater noster &c.
℣. Ora pro nobis S Francisce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi

ORATIO AFFECTUOSA

ad S. Franciscum Xaverium in quacunq; corporis aut animi afflictione.

SAnctissime Pater FRANCISCE Xaveri, qui ex ore infantium, & lactentium perficis laudes tuas, humillimè obsecro humanissimam Charitatem tuam, per sanguinem JESU pretiosissimum, & per immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Virginis MARIÆ, ut mihi ab infinita DEI bonitate, si me in hac mea afflictione diutius permanere expedit, impetres; ut eam ex manu DEI susceptam patientissimè perferam, in honorem patientis Christi: sin me summa DEI bonitas eâ liberum velit: protector mi prodigiosissime, excita potentiam tuam, & veni, ut me ab afflictione hac mea liberes in manu forti, & in brachio tuo excelso; ut nulli humano auxilio, sed tuis apud JESUM & MARIAM intercessionibus, mihi impetratam debeam, ab eadem liberationem. Ecce Pater mihi humanissime, ante te omne desiderium meum & gemitus meus à te non est absconditus, Amen.

Ex-

Exercitium Spirituale.

Ab omni Fideli Christiano ad minimum semel de die attentè dicendum.

ADoro Te Sanctissima Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Personæ, & unus solus DEUS.

Dejicio me in abysso mei nihili; sub conspectu Divinæ Majestatis tuæ.

Credo firmissimè paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quæ nobis in sacra Scriptura revelâsti, & per veram Ecclesiam tuam credenda proposuisti. Omnem spem meam in te colloco, & quidquid possum habere boni sive spiritualis, sive corporalis, & in hac & in altera vita, id totum desidero, spero, & volo solùm consequi, de tua manu DEus meus, vita mea & unica spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neq; consensurum unquam, quantùm in me est, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmiſſimè impendere omne eſſe meum, facultates ac vires meas, ad ſervitutem & gloriam tuam. Paratus ſum ſuſcipere, quaſcunque adverſitates mihi Paterna tua manus immiſerit, ad dandum guſtum Beatiſſimo Cordi Tuo.

Vellem me totum, quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi ſerviatur: atque ut omnes homines Te glorificent & ament DEUM Creatorem ſuum.

Gaudeo de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna Gloria, in cœlo & in terra.

Gratias Tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & in eum inceſſanter à benigniſſima providentia conferuntur.

Amo Tuam infinitam Bonitatem propter ſepſam ex toto affectu corporis & animæ meæ; & vellem ſi poſſem amare eo amore, quo te amant Angeli & homines juſti, Cum quorum amore, conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

Offero Divinæ Majeſtati Tuæ in unione meritorum paſſionis, vitæ & mortis Chriſti, ex nunc pro ſemper omnia opera mea, pretioſiſſimo Sangvine JESU Re-

demptoris noſtri lota & involuta.

Volo etiam omne illud quod poſſum offerre in pœnitentiam & ſatisfactionem meorum peccatorum.

DEus meus cùm Tu ſis infinitè dignus omni amore & ſervitio, ſiquidem Tu es qui es, doleo quantum poſſum maximè de omnibus meis peccatis: Illaque deteſtor ſuper omnia mala petoque humillimè veniam, facioque firmiſſimum propoſitum, nunquam offendendi Tuam Bonitatem in æternum.

In Tua Vulnera me projicio ô JESU, ibi me abſconde & defende, hodie & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi Tui & amandi in æternum, Amen.

ORATIO
ad Dominum JESUM Crucifixum.

O Domine JESU Chriſte, per amaritudinem illius paſſionis, quam ſuſtinuiſti in Cruce, maximè in illa hora, quando benedicta anima tua egreſſa eſt de ſancto Corpore tuo, miſerere Animæ meæ in egreſſu ſuo, Amen.